



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]**

XV. Januarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)



**S.** Bonitus Arvernorum Episcopus ad sacrum celebrandum à Deipara in Coelitum præsentia monitus, ab eadem Sacerdotalem candidi coloris amictum, quo ad sacra uteretur, dono accepit, quo putas gustu Divina peregerit? *Surius.* Vis esse **MARIÆ** albicans? moribus candidis efficies.

O S. purissimæ virginis candidate, mihi quoque à Deipara gratiæ stolam impetra, ut illibati ejus candoris cultor, & vitæ sine labe integerrimæ imitator mori malim, quam animæ puritatem maculâ ullâ contaminem, Talis, si moriar, inter coeli candidatos vestem nuptialem habens numerabor. O Sanctissima **DEI**, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum: Deiparam meæ puritatis custodem eligam, eique hodie specialius commendabo: imò os, oculos, aures, manus, cor & me totum ei donabo.

Sicut Deipara omnibus Sanctis est potior, ita omnibus Sanctis pro nobis est sollicitior. *S. Bonav. in spec. c. 5.*

Quæstio: Quis in vestitu color Deiparæ, dum viveret, gratissimus fuerit? *v. Barri in An. Mar. 8. Januarii.*